

deat, id quod omnium clarissimò Belgæ testantòr exemplò, qui, ruptis morarum repagulis, ubi perceperunt, Lusitanos, gentem alioquin non opimam, aromatibus ex Indiâ in Europam transvectis immensas acquisivisse divitias, ipsi statim eadem ex eodem loco suis inferendo casis, indeque per Europam distribuendo, similes imò majores hactenus acquirere non dubitârunt: Igitur non immeritò me vehementer pœnituit, quod illiteratis, ut putantur, imprudentior ipse tam propinquum medium, tanto thesauro tam facilè comparando proprium, tam diu neglexerim, & nihilominùs ad eundem thesaurum impetrandum, frustra per supercilia progrediendo, summis virib9 allaborârim. Multum tamen, fateor, ad perniciosissimum hunc neglectû apud me contulit *Rationis obscuritas*, quâ perspicere mihi per glaucoma, quod è Scholis acquisiverã, non licuit, *cur, aut quomodo Numeri, Figurae, Situs, rerum s. naturalium s. moralium s. notionalium Scientiam juvare possint?* non recordatus, quod, ut Divinum Numen omnia numerò, pondere, mensurâ, constituendo determinatam potiùs quàm indeterminatã rebus impresfit rationem; ita, licet eam primò conatu saltem indeterminatè spectatam vagis universalium ideis artificialiter incrustemus, si tamen penitiùs & accuratiùs naturam rerum intueri velimus, tandem etiam determinatè, secundum *numeros & mensuras* suas quibus constat, eandem expendere cogamur, in quo summam scientiæ de rebus consistere tutò existimari potest. Neq; etiã attenderam, quod, ut in *Arithmetica*, per universalissimum proportionum præsertim effabilium apparatus, genuinam æstimationis, h. e. determinatæ s. certæ cognitionis & Scientiæ, formam assequimur; ita per *Geometriam* clarissima species rerum certò cognoscendarum, tanquam præcipua materia, (cujus analogiam omnes reliquæ suâ sponte sequuntur, cum per proportionem ad magnitudinem omnia concipiantur) ingeniis, ad eandem etiam aliàs naturã propensis, propinetur. Atque adeò tum temporis non purãram (ut hoc dicere sapientis non videatur) per *Arithmetica* & *Geometriam ipsa Scientiarum, non umbratilium sed solidarum, genuina principia, judicio nostro subiecta, formam nim. earum & materiam qs. primam, acquiri posse, cui per experientiam rerum naturalium & civilium, memoriæ saltem auxilio, velut accrescens materia secunda, corpus Eruditionis perfectum absolvit. Quod prolxiùs in Prodrogo summi Pansophiæ Capitis exposuimus.*

Mul-